



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Secanis, vel Secanica Insula in Rheno sita, à secato Rheno dicta, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

44. *Joannes*, oriundus ex villa Northeim, filius doleatoris cujusdam, ex Priore eligitur in Abbatem anno Domini 1535. Præfuit quinque annis. Reædificavit cœnobii turres murosque & horrea. Obiit anno 1540.

45. *Nicolaus*, oriundus ex pago Grefenreinfeldt, filius nau-tæ, per 26. annos cellæ antea præfectus, eligitur in Abbatem sexagesimo ætatis suæ anno, quarta feria post Lætare, hoc est, VI Idus Martii, anno 1540. Præest adhuc grandævus & tamen omnibus humanioribus literis summo studio incumbens, hoc adhuc currente anno 1551.

*Sickhin-  
gen, ad  
Rbenum.*

*S. Fride-  
linus Re-  
gis Hiber-  
niæ filius.*

**SECANIS**, vel Secanica Insula in Rheno sita, à secato Rheno dicta, vel Seccingense cœnobium, à S. Fridelino, Scotorum & Hiberniæ Regis filio, Philosophiæ studiis præclare imbuto & ecclesiasticæ vitæ imprimis studioso, peregrinatore, plantandæ religionis & propagandi Christianismi ergo inchoatum, octoque Canonis & quatuor Canonicis fundatum anno Domini 495. confirmatum est à Rege Galliarum, Clodovæo. Docuit Fridelinus iste circumquaque in Galliis, tandem Pictavium venit ad S. Hilarium, ubi postea in ejusdem cœnobio pater monachorum extitit, ac S. Hilarium transtulit & de terra elevavit, ac magnificum ibi cœnobium Clodovei subsidiis erexit. Discedens postea inde in Belgium primum ad Mosellam venit, à quo amne non procul rursus in honorem S. Hilarii aliud monasterium inchoavit, quod hodie Helera vel Hilariacum vocatur, idque S. Naboris cœnobium esse existimatur. Relinquens vero & hunc locum, paulo post in Vosagi altis cacuminibus templum etiam S. Hilarii erexit. Venit autem & Argentinam, ibique simile sanum condidit curavit. Inde per Burgundionum provincias ambulans ad Curiam Rhetorum venit, ubi rursus de S. Hilarii nomine Ecclesiam construxit. Postremo autem Augiæ isti Seckhingensi appulit, ut in ea etiam insula ædiculam conderet, sed ab habitatoribus deprehensus, virgis cæsus & ex insula ejectus est. Venit igitur ad Regem Clodoveum, cui concionans aliquoties, mox ab eo totius insulæ donationem liberrimam impetravit. Quoties



itaq; postea in ea habitavit usq; ad ea tempora, quibus Rex moriebatur, orans ibi, & collectis aliquod discipulis sacras literas explicans. Rege sublato, coeperunt iterum accolae ejusdem Insulae tumultuari adversus virum Dei, tum, ut sese muniret contra tumultuantium vim & illatas toties injurias, Rhenum ex dextro ac veteri alveo, precibus ad Deum fufis, in sinistrum coniecisse legitur ac ita tutum sibi fecisse receptaculum. Hoc ipso miraculo omnium incolarum animos in sui admirationem ac amorem pellexit. Postea piarum & in Christo erudiendarum Virginum domicilium condere coepit. Fuerunt autem ea ipsa tempestate duo germani fratres, nobilitate & divitiis pollentes, in Clarona, vulgo Glaris Helvetiorum urbe habitantes, Urso ac Landolphus: ex quibus Urso, S. Fridelini piam vitam & honestam cum discipulis suis conversationem videns, suarum possessionum integram partem, a fratris patrimonio sejunctam, S. Fridelino ejusq; coenobio dicavit, scriptisq; diplomatibus perpetuo possidendam tradidit & confirmavit. Mortuo Ursone, cum Landolphus avaritiae studio bona Ursonis monasterio legata ad se rapere conaretur, S. Fridelinus cum eo coram Baldeberto Landgrafio de recuperanda possessione certavit. Ubi cum audiret, nihil se effecturum, nisi coram iudicibus sisteret Ursone donatorem; abiisse vir Dei Claronam, & magna virtute omnipotentis Verbi Ursone ex mortuis resuscitasse, sepe cumq; eum ex Clarona ad pagum Rheticum Rancquill usq; per sex milliaria adduxisse, ut coram Landgrafio cum fratre Landolpho expostularet injuriam, legitur. Landolphus talibus miraculis exterritus, non solum hoc coenobio reddidit, quod Ursone prius fuerat, sed suum etiam adjecit. Urso cubat in dextera chori ad parietem; Fridelinus sepeliebatur primo ad sinistram chori parietem, e regione Ursone, postea in summum ejus arae collocatus est, in qua utrimq; sacra haberi solent. Est ibi duplex pons, faxeus & ligneus: faxeus ea parte, ubi antiquitus Rhenu descendere solebat: ligneus ea parte, ubi nunc defluit, a S. Fridelino hosti urbem obsidenti objectus. Extra urbem ostenduntur in saxo illo & ara & sella Fridelini Eremitae.

*Rhenus ex uno in alium alveum ductus.*

*Clarona.*

*S. Fridelinus suscitavit mortuum & eum coram iudicibus sedit.*

*Rancquill.*



De hujus cœnobii ista, quam recitavi, fundatione & origine extant adhuc tales versiculi.

*Prædica pro Domino dant fratres hic Fridelino,  
Tempora post multa negat alter, fratre sepulto:  
Suscitat hunc testem Dominus, ducitq; benignus.  
Turba timore tremuit: Sanctus sua jurare demit.*

Abbatissarum ejus loci, quarum Duces Austriæ Vasalli & Advocati sunt, hæc tamen reperiuntur nomina, cæteris vetustate abolitis.

Abbatiss.  
series.

1. *Domina Bertha*, Imperatoris Caroli Craffi soror
2. *D. Rirhardis*, ejusdem Imperatoris conjunx.
3. *D. de Vonteneig*, forte Fontana aqua, Abbatissa. Invenio & unam de
4. Phenningen.
5. *Domina Anna à Wessenburg*, Abbatissa, obiit anno Domini 1306.
6. *D. Elisabeta de Busnang*, Princeps & matertera Alberti Romanorum Regis, præfuit anno 1307. & anno Domini 1316. Hæc Palatium (in qua Abbatissa habitaret) amplum ac augustum construxit, quod postea bellicis tumultibus vastatum, hodie adhuc *der Althoff* dicitur. Habuit hæc Abbatissa sua ætate adhuc sub se 40. domos instructas & ornatissimas pro totidem dominabus ac monialibus nobilibus vel Canonissis. Floruit enim hæc Canonissarum congregatio circa hæc tempora maxime.
7. *D. Agnes à Brandis*, Abbatissa: sub cujus gubernatione totum ferè cœnobium in cineres collapsum est. Hæc anno Domini 1343. novum templum Secanense, magnificum equidem, in honorem Sanctorum Fridelini & Hilarii construxit, inchoans 12. marcis argenti, conferentibus etiam liberaliter sua subsidia Canonicis. Primum lapidem posuit Abbatissa in Majori die Jovis post festum S. Crucis, cum jam vetus templum stetit à prima fundatione annis 835. Præfuit etiam anno Domini 1349.
8. *D. Anna*, Comitissa Tulensis, obiit in die S. Galli, anno Domini 1356.
9. *D. Mar-*



9. *D. Margareta à Bussenang* Abbatissa, illustratrix novi templi.

10. *D. Margareta à Grunenberg*, aliquandiu coadjutrix, postea Abbatissa, præfuit anno 1367. Consecratur sub ea novum templum anno Domini 1390. ab Henrico, Episcopo Constantiensi, Barone de Brandis.

11. *D. Anastasia de Alto Geroldissegko*, Abbatissa.

12. *D. Catharina à Iberstein*, alibi Thierstein, nata de Hohem, Abbatissa, obiit anno 1408. Sepelitur in sinistra templi ad parietem, sub arduo Mausoleo.

13. *D. Anna de Klingen*, Baronissa & Abbatissa, præfuit anno Domini 1409. Accepit privilegia à Sigismundo Imperatore anno Domini 1417.

14. *D. Claranna de Alto Klingen*, Abbatissa, præfuit an. 1439. Fuit magni animi Domina, quæ anno Domini 1445. Basiliensibus Secanam obsidione prementibus, per 20. dies fortiter restitit, & civis suos ita exhortata est, ut Basilienses infecto negotio, quod tentarant, oppidum obsidione solvere cogerentur 8. Octobrium postridie videlicet S. Marci, cum oppidum illi exercitu quinque millium cinxissent, ipsa Dominica die post festum Matthæi.

15. *D. Agnes de Sultz*, Comitissa, designata est Abbatissa post Dominam Clarannam. Obit septima Februarii anno 1484. Præfuit anno Domini 1452. & sequentibus utilissime & laudatissime. Fuit prudentissima Domina, à qua Senatus etiam consilia petere solebat, imò tota circumfusa provincia. Construxit Abbatiam, refecit pontem, quem Rheni inundatio anno 1480. abripuerat.

16. *D. Elisabeta*, Baronissa à Falckhenstein, Thomæ Baronis & Baronissæ de Ramstein filia gibbosa: hæc præfuit ad annum usq; Christi 1520. quo obiit. Sub ejus gubernatione fuit in Secanica Rheni Insula Divus Maximilianus Imperator, cui à toto Clero S. P. Q. ad pontem ligneum usq; obviam est iterum. Habuit tum dictus Imperator in delitiis ejus loci pulcherrimam quandam Canonissam, D. Isoldin de Isemborch, Comitissam de Weda.



17. *D. Anna*, Baronissa de Falckenstein, soror *D. Elisabetæ*, Thomæ Baronis, sed ex alia conjuge, Domina videlicet *Æmilia* Baronissa Weinspergensis filia, Canonissa Buchoviensis, sit Abbatissa Secanici hujus collegii, per resignationem *D. Elisæ*. Ab hac *Carolus V. Imp.* anno Domini 1520. in feuda accepit, more veterum Austriæ Ducum, arcem & civitatem Lauffenburghensem, ad inferiores Rheni cataractas sitam, & civitates Secanam & Claronam Helveticam cum aliis aliquot locis. Obiit anno Christi 1534.

Lauffen-  
burg.

18. *D. Chunigundis*, patre nata Barone de alto Geroldissegko, matre vero Comitissa de Sultz, successit Dominae *Annæ*. Præfuit novem annis. Obiit circa Pentecosten anni 1543. Ea me epitaphion positum est, quod sic se habet.

*Hic Comitissa jacet Gerolotseggana, sacrati  
Istius Abbatissa loci Conigundis, honestis  
Moribus exornata adeoq; illustris, ut illam  
Tota jacens circum provincia semper amaret.  
Illa novem sacræ domui cum præfuit annis  
Utiliter, laudabiliter, prudenter, honeste  
Atq; pie, ad patrii translata est gaudia cœli,  
Vivit ubi, æterna fruiturq; beata quiete.*

19. *D. Magdalena ab Hausen*, Domini Viti Sixti excellentis Musici & Canonici Spirensis soror, nobilis & præclara Domina, eligitur anno Domini 1542. Præfuit annis quinque. Misere decepta est à quodam Diacono, quo fidem dante eam sibi conjugem futuram, cum ipsa fugientem sequeretur, comprehensa & exauthorata æternis carceribus adjudicata est, quod contra Pontificiam benedictionem nubere & monasterium deserere ausa fuerit. Sed exoratus *Divus Ferdinandus Rom. Rex* à nobili ac strenuo heroë, *Joanne Jacobo de Schönaw*, aliisque viris nobilibus, enixe pro Domina Abbatissa, alioqui optima ac integerrima Domina (cum jam carcer etiam & omnia ad carcerem spectantia parata essent) intercedentibus, libertatem ei impertit, & tantum ad sustentationem reliquæ adhuc vitæ dari curavit, quantum satis esset. Cœnobii vero gubernatio, deficientibus Canonissis,

Abbatissa  
nubere cu-  
piens car-  
ceri inclu-  
ditur.



missis, ab eodem Divo Ferdinando Rege, prædicto Joanni Jacobo à Schonaw nobiliss. Viro, commendata est, qui hæc & alia clementer mihi communicavit.

Est Seckhingi tertiæ quoq; S. Francisci Regulæ cœnobiolum monialium, emanuum suarum laboribus viventium, constructum à cive quodam ejus oppidi, Joanne Heelblingo, qui locum eum duabus suis filiabus primum habitandum consecravit, Annæ videlicet ac Margaritæ, piis puellis, monasticam ibi congregationem inchoantibus, anno Domini 1340.



**SEFLINGUM**, olim præclarum castrum, ejusdem nominis nobilium Pincernarum (qui Cæsariense etiam monasterium donarunt) sedes, nunc vero Virginum, Deo juxta Divi Francisci institutum fervientium, pulcherimum ac opulentissimum cœnobiolum, extra muros republicæ Ulmensis in dextra Blavi fluminis situm, coepit anno Domini 1237. Ulmæ intra urbis moenia primum, ubi sororum, D. Benedicti institutum sequentium, quædam erat congregatio ad S. Elisabetæ sacellum, in infima urbis parte, quam vulgo aufdem *Griesß* vocant, inter Gregorii pontis & Anserum portas situm. Hanc monasticam societatem inchoarat Minorita quidam Albertus, qui concionibus suis gratus privilegia & donationes quasdam impetrarat apud Imperatorem Conradum quartum, Friderici secundi filium. Acceperunt mox aliæ donationes nobilium virorum, Ulrici & Peregrini de Freiberg, qui prædium quoddam monachorum, Curiam dictum, sororibus S. Elisabetæ tradiderunt. Nondum tum amiserant totius Ulmensis urbis possessionem monachi divitis Augiæ, iccirco loci ejus Abbas, Conradus, illustris Baro de Zimmern, donavit easdem sorores aliquibus curtibus & prædiolis Phulensis pagi. Postea translatum est hoc ipsum cœnobiolum, Ulmæ mediocriter jam inchoatum, ex urbe in viciniam arcis Seffingensis, quæ Comitum erat Dillingensium, anno Christi 1250. ab ipso Hartmanno, Comite Dillingensi & Episcopo Augustano, qui S. Claræ illic professionem & ordinem dicitur instituisse primus. Accidit vero paulo

Herbrun-  
ger Thor.  
Gieß Thor.